

Z1, Nr. 13 ist in der Zahlung ausgefallen

13

ORDINIS IURIDICI
IN ACADEMIA WITEMBERGENSI
H. T.

1701

1400

552
DECANUS
**IO. PAULUS
SCHRÖTER,**

I.U.D. Facult. Iurid. Assessor, Curiae
Provincialis et Consistorii Ecclesiastici
Advocatus Ordinarius.

L. B. S. P. D.



ORDINIS HERBICORUM
DECANUS

OPAULUS
SCHROTHER

A u b D

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-730537-p0004-3

O. D. B. V.



Uantum in cumulum excreverint remedia, quibus de possessione deieatis, et spolia rerum suarum passis, tum ex utriusque iuris expressa sanctione, tum ex interpretatione Prudentum subveniunt, et quantus favorum circa spolii causam & singularium reprehendatur concursus, monumenta eorum, qui haecce remedia congeserunt, atque opera non proletaria pertractarunt, *JACOBI MENOCHII, JOHANNIS BAPTISTAE PONTANI de Spolio, ROBERTI MARANTAE de Ord. indic. P. 4. distinct. 7. n. 28. seqq. B.Dn. ZIEGLERI ad Can. Redintegranda, et Tir. X. de Restituitione spoliatorum, aliorumque abundantissime exponunt.* Et cum in civitates coeundi, atque alterius imperio se submittendi, non infima causa initio hominibus extiterit, ut quisque sua ab aliorum invasionibus tutu haberet, et contra iniurias, ac depraedationes, per constituta iudicia, securus degeret; praeterea naturalis ille in homine appetitus, quo ad colandam civilem societatem potissimum fertur, teste *HUGONE GROTIUS d. I. B. ac P. in Proleg. part. 1. §. 6.* communitatem non qualecumque, sed tranquillam intendat; utique in quavis Republica bene constituta primam eorum, qui illi regendae praefunt, oportet esse curam, propicere; ut promulgatis legibus continetur cives in officio, arcentur ab invasione alieni, ac, si a quopiam contra quid admissum sit, id per iudicia, et legitima media fine mora emendetur, adeoque cuiilibet civium secura rerum suarum possessio, et societati civili sua tranquillitas custodiatur.

Maxime vero huic scopo obtinendo conductit, et spoliatis insignem utilitatem praefat decantatissima spolii exceptio, qua, si conveniat in iudicio, sive de ea re, in qua spolium factum, sive de alia, spoliator spoliatum, opposita, non respondere cogitur reus, priusquam restituatur spolium, et adeo, ni velit causam suam defere ad eum spoliator, etiam si ad restitutionem non condemnetur, ipsi restituendi necessitas incumbet, spoliato vero minoribus litis ambagibus, molestiis, et sumptibus per indirectum, eius, quod sibi ablatum, recuperatio constabit. Originem, et formam haec exceptio ex iure Canonico, et quidem speciatim ex cap. 2. X. de ordine cognit. adepta est, nec manifesta aequitate defituitur. Qui enim partes iudicis perpetram involavit, et sibi ipsi ius dicere nequiter praefumpst, non aegre ferat, judiciali auxilio tamdiu carere, donec ei, quem laesit, et iudiciorum autoritati, auctu improbo temeratae, si satisfactum. Ne tamen in abusum trahatur tam laudabile institutum, et sub praetextu fidei spolii, iustissimas adverfarii petitiones morandi in infinitam occasio exinde nascatur; temperamento adiesto, quindecim dierum spatio per exceptionem obiecti spolii probatio circumscripta est, in c. 1. de restit. spol. in bzo, quod ipsum et ius nostrum Electorale Saxonum probat et sequitur in Conf. 6. P. 1. ord. Proc. tit. XI. §. Defgfeizhen wenn einer Exceptionem spolii vorzuwenden ic. additis aliis, quibus probationum solennia hoc in negotio sunt coarctata. Cum vero et textibus iuris Canonici, et Legislatori Saxonici placitis, de probatione facienda saltem cautum sit, haec res disceptatione ansam dedit: NUM ETIAM SUPER EXCEPTIONE SPOLII IURAMENTI DELATIO SIT PERMISSA? Et haec tenus quidem plerique Doctorum maxime ex veteribus negativam amplexi sunt sententiam, prout videre est apud REINHARD. ROSAM. in addit. ad DANIEL. MOLLERUM ad Conf. Elec. 6. P. 1. n. 6. lit. b. BERLICHJUM Part. I. concl. 6. n. 87. CARPOZOV. P. I. C. 6. Def. 10. Dn. SIENDENDORFERUM ad Proc. FIRIGII edit. noviss. p. 367. Ita enim persuasi erant olim ICti, quod ubicunque dolus anguitur, cessef iuramenti delatio, DAN. MOLLERUS ad Conf., Elec. P. 3. C. 5. n. 17. et allegg. Dd. Adeoque cum spolium nunquam, vel raro, sine dolo committatur, locum super exceptione spolii iuramenti delationi dandum non esse, sed vel testibus vel documentis eam probandam contendebant. Verum cum

cum generalis sit assertio UPLIANI in l. 3. §. 1. ff. de Iure iuri. it. in l. 8. §. 3.
ff. de his, qui nos anur infam. etiam super poenali quavis actione, et super
delicto iuramenti delationem admittentis, et in furti quoque cri-
mine atque rapina, quorum delictorum neutrum sine dolo committi-
tur, quando numerum ex his delictis civiliter agitur, iuramentum de-
ferti posse, patet ex lege 13. §. 2. et 1. 28. §. 5. ff. de Iurei. relata Docto-
rum opinio Iuri haudquaque convenient, et fundamento destitui-
tur, indeque factum, ut dudum a suis quoque assertoribus melius
edocis deserta, et explora fuerit. In primis CARPOVIUS P. 3. de-
cisi. 231. n. 15. seqq. L. 3. Rep. 45. n. 11. seqq. et in Processus tit. II. art. 1. n. 53.
multis iisque gravissimis argumentis hanc, quam antea tenuerat,
sententiam impugnat, atque contrariam adstruit.

Hinc igitur non obstat amplius poterit, quo minus super ex-
ceptione spolii iuris iurandi delatio admittatur, consentientibus
BRUNNEMANNO ad 1. 9 §. 2. ff. de iurei. n. 15. B. DN. ZIEGLERO, ad
can. redintegranda c. 7. §. 13. DN. RIVINO in Specim. except. forens. cap.
40. n. 8. Sunt tamen, quibus alius ex rationibus adhuc placet, ces-
sare in Foro Saxonico super spolii exceptione iuramenti delatio-
nem. Ita enim eorum fert ratio; iuramentum super excepcionib-
us demum post litem contestatam deferre licere per Ord. Proc.
tit. 18. §. Do aber ic. exceptionem vero spolii opponi ante litis
contestationem, et eum in finem, ut illa differatur per Conf. 6. P. 1.
et Ord. Proc. tit. n. §. Dergleichen arrequam non locum habeat iu-
ramenti delatio, nec oblatare, quod in exceptione spolii admittatur
probatio, sicut enim istud plane speciale, ita permissa probatio-
nem restringendam esse ad probationem ordinariam, nec exten-
dendam ad exorbitantem, praefertim, cum ea ad certum tempus
sit restricta, et modus probandi per testes, et documenta in dict. Ord.
Processus praefcriptus; accedere, quod secundum dictam Ordin.
omnis evitari debeat prolixitas. Verum enim vero hisce mo-
mentis, quod pace ipsorum dixerim, vix quod intendunt, evinci
posse videatur. Primum enim in allegato §. Ord. Proc. diserris
verbis non habetur, super exceptionibus demum post litem con-
testatam iuramentum deferre licere, sed disponit, quod super
exceptionibus iuramenti delatio tamdiu sit permissa, donec reo
carum probatio sit iniuncta, vel ab ipso sponte oblata, ita tamen,

ne delitio iuramenti ad ultimam positionem differatur, et cum *in
nris ad alleg. §. ad verb.* so lange freystehen ic. ampliationis loco po-
nit *B. DN. ZIEGLERUS*: etiam post item contestatam licitam esse,
iurisurandi super exceptionibus delationem, utique eandem ante
litis contestationem permittam esse innuit. Deinde quicquid
Doctores et Interpretes potissimum Iuris Saxonici de iuramento
super exceptionibus post litem demum contestatam deferendo
afferunt, id omne de exceptionibus peremptoriis diserte pronun-
ciant, rationem adiicio, quod cum exceptions peremptoriarum
reus non antea, quam post litis contestationem obiucere queat, etiam
non prius ad iuramenti delationem sit admittendus, vel etiam ad-
stringendus *CARPZ.* in Proc. tit. n. art. 1. n. 114. seqq. it. p. 3. dec. 229. n. 16.
seqq. p. 1. c. 12. def. 32. cui adstipulatur *B. DN. ZIEGL. c. l. NICOL.* in Proc.
p. 1. c. 38. Exceptio vero spolii omnium calculo non peremptoria, sed
maxime dilatoria est, quippe quae eum in finem solum opponitur,
ut differat litis contestatio, vel processus ulterior, donec spoliatus
fuerit restitutus. Atque de exceptionibus mere dilatoriis, quas
processus vel iudicij vocant, cuius generis sine dubio est exce-
ptio spolii, quae causam principalem nullatenus tangit, sed solum
iudicium suspendit, concors existit Doctorum sententia, eas ante
item contestatam non modo opponendas, sed etiam si negentur,
et ex Actis de iis non constet, probandas, disceptandas et deciden-
das esse, per. c. 19. X. d. in. l. 19. C. de probat. *MATTHIAS COLERUS*,
ad c. 2. X. d. Except. n. 50. *HILTROPIUS* in Proc. p. 2. tit. 12. n. 83. *ILICO
UMMIUS* Disput. ad Process. 8. tb. 10. n. 62. *ZANGER* de Except. p. 2. c. 22.
n. 28. *BRUNNEM.* ad l. 19. C. de probat. *B. DN. ZIEGLERUS* ad Ord.
Proc. Sax. tit. n. §. alle exceptions dilatoriae etr. neque iure Saxonico
coulli aliter est constitutum. Iam in omnibus causis permitten-
dum est ei, cui ex lege onus probandi incumbit, adversario super
rei veritate iuramenti deferre l. 25. §. 3. ff. de probat. ibique *BRÜN-
NEMANN*. n. 9. *HARTM. PISTOR*. quaeft. 13. n. 16. l. 4. Adeoque uti
dubium non habet, permittam esse super exceptionibus dilato-
riis iuramenti delationem, ita quoque concedendum, eam, quae
in probationis locum succedit, secundum surrogationis naturam,
eodem tempore, quo haec peragenda, fieri posse ac debere. Ne-
que causa illa est, quare exceptio spolii, cuius probatio ante litis
cou-

contestationem facienda reo excipienti diserte iniungitur in *Ord.*
Proc. tit. 11. §. desgleichen de generalitate dispositionis *dist. L. 25. §. 3.*
ff. de probat. sit eximenda. Nec ad rem facit, quod certo et quidem breviori spatio, quam alias terminus probatorius ordinarius haberet, sic circumscripta, cum non appareat, quomodo ab asignatione termini angustioris ad prohibitionem delationis iuramenti legitimum procedat argumentum. Multo minus, quod Serenissimus Legislator circa probationem exceptionis spolii, et reprobationem reo permissem, omnem prolixitatem superfluam evitari debere statuat, iuramenti delationi impedimento erit, cum longe plus certe tantum temporis probationem ad quindecim licet dies coactato termino, sit infundendum, quam iuramenti delatio, eiusque praefatio requirit. Dum enim intra quindecim dies ab eo die, quo sententia, in qua reo probatio spolii iniungitur, vires rei iudicatae consecuta est, probatio oblatione articulorum saltem sit inchoanda, et tum demum a Iudice cum adversario testes ad perhibendum testimonium citandi, et si primo in termino non compareant, iterum industro aliquo spatio vocandi, facile aliquot hebdomas, imo saepe menses labuntur, cum e contra iuramento delato, et defuper lata sententia vires rei iudicatae adepta, intra ostium iuraturus se offerre, et postmodum termino a Iudice praefixo sub poena desertions iurare teneatur, adeoque brevissimo spatio totum confici queat negotium. Taceo alias difficultates, et prolixitates, quibus probatio per testes praे iuramenti delatione est obnoxia. Accedit, quod plerumque spolia clam et remotis arbitris perpetrentur, nec illud facile in tabulas referri posit, adeoque difficillimam, et quandoque impossibilem fore eius per testes, et instrumenta probationem, ac si iuramenti delatio deneretur, saepius spoliatum saluberrimae huius exceptionis beneficio ac fructu cariturum. Eaque propter indignum eo magis foret spoliatis, quibus tantopere iura favent adversum spoliatores, quos leges detestantur, et odio habent, hoc medio veritatis eruendae, et insigni commodo onere se et difficultate probationis levandi destitui, quo minus iure publico ea de re quicquam sanctum, aut aliquod prohibitionis vestigium deprehenditur. Merito igitur super exceptione spolii in modum dilatoriae oppositae admittendam

dam esse ante litis contestationem iuramenti delationem; si ea, priusquam iniuncta desuper, vel oblata probatio fuerit, fiat, nec ad ultimam positionem differatur, non invito §. do aber *tii. 18. Ord. Proc.* concludo. Placuit et hoc ICtorum in hac Academia Collegio, atque in hunc modum concepta est sententia mente proximo Octobri, ad Acta a Praetorio Pegaviensi transmisla, in causa Sebastian Mosdorffs Klägers contra Christian Gritschen Belkagten et insuper decreatum, ita deinceps tempes pronunciandum. Animus iam esset in veritatem alius sententiae: quod nimurum, si instituto ex instrumento guarentigato Procellu executivo, exceptio spolii ante recognitionem opponatur, ea praecise documentis sit probanda, neque testium deposicio, neque iuramenti delatio admittenda, inquirere; sed subsistere hic iubet instituti ratio, quae prolixiorum esse non paritur. Unicum igitur adhuc saltem adiicio; spoli exceptionem obiciendi de eo solum, quod sibi vis facta, de possessione deictius, et rebus quibusdam spoliatus sit, vel legitimis probationibus adversariorum convincere, vel ipsi desuper iusurandum deferre incumbere, cum spoliatione per exceptionem obiecta, non fiat restitutio *c. 2. X. 4. Ord. cognit.* Sed si spoliator impedimentum suae petitionis removet, et exceptionem, qua responsionem reus et recte quidem declinare satagit, sublatam cupiat, suarum partium esse restitutio oblata ad liquidationem, quam vocant, rerum ablatarum reum provocare, tumque si reus, ipseque spoliarius, qui vim sustinuit, res abreptas, et invasas damnaque tempore impetus data, et quae perdidit, singula comprobare non possit, taxatione a iudice facta, sacramento aestimationem rerum, quas perdidit, ita tamen ne ultra taxationem a iudice factam iuretur, manifestare ipsi integrum, et quod huiusmodi iureurando dato fuerit declaratum condemnare. Iudici necessitatem impositam fore, quod et ZENO Imperator in *l. 9. C. unde vi*, et qui eum imitatus est Papa *GREGORIUS IX. in c. u. 10. X. de his, que vi, metusve causa, confituit, unde SACRAMENTI, sive iuramenti ZENONIANI appellatio innovavit. Quo de SACRAMENTO ZENONIANO, cum disputationem inaugurem ediderit elegantissimam, et cuncta, quae de hoc arguento dici possent, occupaverit, cuius gratia haec susceptra scriptio Nobilissimus Iur.*

rium Candidatus, Dn. CHRISTIANUS TEMMICHIIUS,
Belgera-Misnicus, Consistorii Ecclesiastici huius loci Advocatus
Ordinarius, Fisci Redituum Provincialium, Consistorialis et Aca-
demici Procurator, plura in praefens de eo verba facere super-
vacaneum esset. Potius, ex more recepto, de eius natalibus, et
studiorum progressu, quaedam sunt commemoranda. Lucem
hanc apergit Belgerae, antiquo Misniae oppido, ad Albim sita,
anno M. DC. LXXIII. die XXV. Octobris, parentes natus
honestissimos, et integerrimos, patrem quidem sibi cognomi-
nem, Civem et Sartorem, matrem ELISABETHAM PLA-
NERIAM, ornatissimam foeminam, cuius parens IOHAN-
NES PLANERUS, ex tribuno plebis Senator, et Came-
rarius in patria factus, Rempublicam laudabiliter administravit.
Prima pueritiae eius regendae ac formandae cura Scholae pa-
triae Rectori, IOHANNI GEORGIO TRAUTMAN-
NO demandata fuit, per quem primis literarum elemen-
tis imbutus, eius adhibitum in hac re singularem industriam
et fidelitatem, adhuc grata mente recolit. Crecente aetate,
cum annum ageret decimum sextum, ad capessendum uberiori-
rem ingenii cultum, in Scholam Torgavensem, multo abhinc
tempore celebrem ablegatus, et in disciplinam Rectoris, qui
tunc erat, M. DAVID WINTER, postea Zwickaviam
ad easdem partes vocatus, et Con-Rectoris, AUGUSTI DO-
ROTHEI RUPERTI, traditus est, quorum, ut et, qui iis suc-
cesserunt, M. ABRAHAMI ZIEGKII, et M. GODOFREDI
STEINBRECHERI, Rectorum, nec non reliquorum istius
Scholae Praeceptorum, egregiam diligentiam, ac sinceram insi-
tutionem merito depraedat. Nec taceri voluit Nobilissimus Dn.
CANDIDATUS singularia, ac maxima beneficia, quae Vir
summe Reverendus, atque Amplissimus, Dn. D. CHRISTIA-
NUS HOFFKUNZIUS, Pastor Ecclesiae Torgavensis, et
vicinarum Superintendens meritissimus, per integrum triennium
in se contulit, et ipse perpetua animi gratitudine ea agnoscat.
Positis iam feliciter in laudata Schola studiorum fundamentis,
anno M. DC. XCIV. Mensie Maio sub Rectoru Excellentiss.
Dn. MICHAELIS STRAUCHII, Mathem. Superiorum Pro-
fessoris

ffloris Publici, in nostram cōncēdit Acadēmiam, et a maxime Re-
verend. Dn. D. HOFFKUNZIO, mihi commendatus, ut
liberalem mihi operam navaret, in meam familiam est receptus.
Atque propositum initio ipsi erat Theologiae studio fē addicere.
Unde, anno primo, praeter Pl. Reverendi Dn. M. AUGUSTI
VVOLFFII, VVitebergensis Ecclesiae Diaconi, tunc Amplissi-
mae Facultatis Philosophicae Adiuncti, Lēctiones Metaphysicas,
et Excellentissimi Dn. CHRISTIANI ROEHRENSEE, Ethi-
cas, et ad Vitriarii Institutiones Iuris naturae, institutas recitatio-
nes, quibus sedulus auditor interfuit, Magnifici quoque Dn. D. CA-
SPARIS LOESCHERI, Augustanam Confessionem exponen-
tis, scholas frequentavit. Postea vero, consensu parentum, quod
in mea familia illi sine suo sumptu Iurisprudentiae studio incum-
bere, et in eum gradum, in quo in praesenti constitutur, emit,
parata occasio daretur; praeterea ipse studii huius, cuius usum ac
praxim quotidie coram intuebatur, amore caperetur, consilium
mutavit, et prudentiae Iuris operam dare coepit. Ex eoq[ue] tem-
pore ab ore celeberrimorum Antecessorum, omnium ac singu-
lorum pependit; in primis vero Magnifici Dn. ORDINARII
D. GODOFREDI STRAUSSII, scholas singulari industria fēdā-
tus est, cuius, ut et reliquorum Doctorum, ingentia in se collata me-
rita cum perpetua animi gratitudine celebrat, ac submisso venera-
tur. Theoriae praxim statim iungendi conditio ipsius ac vitae ratio
occasione erat; et ego merito collaudare habeo plane singularem
sedulitatem, indefessam diligentiam, atque dexteritatem, quibus, cum
per integrum quinquennium, mihi, tum Proto-Notariatu Acadē-
miae, et Consistorii Ecclesiastici fungenti primum amanuensis,
postea, cum a Dn. D. AUGUSTO BECKERO, A. M.DC.XCVI
mense Maio Notarius effētus creatus, Aduari operam prestaret,
commissas sibi partes obivit, id semper interea agens, ut exinde et
iam aliiquid utilitatis in sua studia redundaret. Hinc, si quid in Actis
occurreret, cuius penitorem habere cognitionem et re sua effē arbitraretur, id subinde annotabat, ex me percontaturus, quae ea de
re statuenda atque tenenda effēt, vel ad eius explicacionem uberi-
orem sacerent. Quem interrogandi morem et tum servabat
sicubi ab auditionibus veniens quedam non satis sibi percepta et
intelle-

intelle^ca esse sentiret. Hac via progressus, insignem sibi non multo tempore eruditionem, et in rebus agendis solertiam ac promptitudinem comparavit, quae singularem apud omnes ipsi favorem conciliaret, et Patres Academiae conscriptos, nec non Magnificos Confistorii Ecclesiastici Affiliates commoveret, ut non solum post excessum Dn. CHRISTIANI LEHMANNI, Academiae et Confistorii Proto-Notarii, duplicitis huius muneris vacantis administrationem vicariam ipsi potissimum demandarent: sed et hi ante annum Advocatum ordinarium et simul Fifci Procuratorem constituerent, eaeque partes postmodum apud Fifcum Academicum ipsi quoque conferrentur. Quae dignitates nuper admodum luculenta accessione auctae fuerunt a Potentissimo REGE POLON. atque Sereniss. ELECTORE Nostro, Procuratoris Reditum Provincialium per Circulum Electoram munere ipsi demandato. Studiorum itaque suorum fiduciam habens, reverenter petiti a Collegio nostro, ut in numerum CANDIDATORUM reciperetur, cumque de eius legali eruditione iam per Examen, quod ex Rescripto Principis subire tenentur, qui ad orandas in foro causas admitti volunt, anno M. DC. XCIX. exantatum, constaret, et in negotiis forensibus haec tenus veritatis, eximiam rerum agendarum peritiam comprobasset, sine omni difficultate compos voti factus est, atque in Tentamine ad propositas quaestiones prompte appositeque respondendo eum se gesit, cui ad ulteriora specimina viam aperiendum omnes unanimi consensu iudicaremus. Craftino itaque Die Lunae, si DEUS dederit, Praefide Magnifico, Dn. D. CASPAR. HENRICO HORNIO, de SACRAMENTO ZENONIANO, Disputationem Inauguralem habebit, cui ut MAGNIFICUS ACADEMIAE RECTOR, PER-ILLUSTRIS DN. LIBER BARO, ceterique Iurisprudentiae, et literarum Fautores, ac Aestimatores, interessu velint, ea qua par est, reverentia rogo atque contendeo.

P. P. sub Sigillo Facult. Iurid. Domini ca IV. Adventus,
M. DCCI.

WITEMBERGAE, Typis CHRISTIANI GERDESII.

W DCC

LIBRARY OF THE CHRISTIAN LIBRARIES
OF THE UNIVERSITY OF HANNOVER
BIBLIOTHEK DER UNIVERSITÄT HANNOVER
CHRISTIANEUM
CARMENIS ET MAGISTRICUS ACADEMIAE
HANNOVERENSIS
PER W. CASPERIUS HENRICIUS HOLMIUS
IMPR. PETRI PAVII. E. DENS. 10. 16.
CARTA
M. DCC.


ULB Halle
001 507 494


3



TA 30 L

VDA 8





Z13 Nr. 13 ist in der Zählung ausgefallen

19

ORDINIS IURIDICI
IN ACADEMIA WITEMBERGENSI
H. T.
DECANUS
**IO. PAULUS
SCHRÖTER,**

I.U.D. Facult. Iurid. Assessor, Curiae
Provincialis et Consistorii Ecclesiastici
Advocatus Ordinarius.

L. B. S. P. D.

